

1. Nam si pro usu tantummodo Orationum, et Piarum precum relinqueretur Ecclesia, seu Oratorium. Missae celebratio facile, periret, et Ecclesia tractu temporis derelicta remaneret, essetque destruenda juxta monitum *c. si qui Basilicam, cap. Ecclesiae, et per tot. dist. 1. de consecr.*

32 33 Vestes assignatae pro habenda hac benedictione sunt Stola, et Pluviale, sed Rituale, qua de causa nescio praetermittit Albom, quae suppletur a Castald. *Prax. l. 1. sec. II. c. 6.* iste est habitus Benedictionis solemnus, ut alias diximus. Color albus convenit cum Missa de Dedicatione, et est de ritu talis solemnitatis, ob signum puritatis, et sanctificationis illius loci.

34 Ministros aliquot postulat Rituale pro hac Benedictione, et vere Ministri sunt necessarii ad psallendum, et ad pluralitatem rerum agendarum in illa tum extra Ecclesiam, quam intra; nec unus, vel duo sufficiunt.

35 Quo vero ad Crucem: Mystera Crucis plura sunt, de quibus alio loco diximus: Ratio vero fundamentalis hujus praefationis est, quia cum haec sit Processio, semper in ea debet elevari Crux, quae tamquam triumphale vexillum, praecedat, ut in Titulo *de Processionibus*, suo loco dicemus.

36 Circa tempus hujus Benedictionis, sciendum est, nonnullas ex Benedictionibus solemnibus fieri debere determinatis anni temporibus, diebus, et horis, juxta ordinem in Missalis, et Ritualis Rubricis assignatum. Haec habet suum tempus praefixum, et est in mane, eo quia post expletam Benedictionem, debet celebrari Sacrificium Missae, quod non nisi in mane peragi potest, Pasqualig. *de Socr. nov. leg. c. 7.*

37 38 Elata Cruce, procedere debet Sacerdos ad primum Ecclesiae, vel Oratorii januam. Ecclesiae, et Oratoria plures habere possunt januas ob commoditatem ingredientium et egredientium: consuetudo tamen est, ut in Oratoriis, una tantummodo habeatur, quando non tam amplae vastitatis sint: sed in hoc attendenda est peritia artis architectonicae. Certae una ex iis major, et primaria esse debet, nempe illa in fronte, quae viam respiciat communem, et omnibus intrare volentibus pateat, quando opus est.

39 De Januis, seu Portis Ecclesiarum, et Oratoriorum luculenter scripsit Marcellus Cavallieri in suo libro Italico:

*Il Rettore Ecclesiastico instruito, Tit. 1. per tot.* ubi de earum situ, numero, forma et ornamentis satis erudite loquitur. Insuper, de earum usu, et partibus, necnon de aliis ad earum eruditionem spectantibus satis laudabilem librum scriptis Gaspar Sagittarius, *de Januis veterum, Altemburgi* 1672.

40 41 Hic ad Januam majorem sistere debet Sacerdos benedicens, quia vere illa est Janua Ecclesiae: Caeterae vocantur *Licentiae*, ut habemus ex Alexandro Sardo in suo Opuscu-

lo, *de Rerum Inventoribus*, quia illa vere necessaria per se aliae vero respectivo, et secundum quid, vel ut facilius evacuetur Ecclesia, vel ut foeminae ingressum habeant separatim ab Hominibus, vel ob alias causas, quae a Cavallerio *l. c.* enunciantur: sed ista, quae appellatur primaria, omnibus patet, nec sine ea dari potest Ecclesia, vel Oratorium publicum.

42 43 Aliae formalitates a Rituali praescriptae in hac Benedictione decent: *Stat* enim Sacerdos, tamquam imperativo modo, quia ipse Dominus, et rector est actionis illius: *Caput aperit*, ob reverentiam rei Sacrae, quam tractat: recitando enim Orationem, *Actiones nostras, etc.* implorat Divinam opem ad rem, quam tractaturus est: denique *stat conversus ad eam* Ecclesiam, seu Oratorium, quia circa id tota illa actio Benedictionis versatur.

§. II. Deinde inchoat Antiphonam, *Asperges me etc.* et Clerus alternatim dicit Ps. *Miserere, etc.* In fine, *Gloria Patri, etc.* Interim circumdant exterius Ecclesiam (quae intus debet esse vacua, et nuda; et pariter Altaria nuda, excluso Populo, donec absoluta sit Benedictio) et Sacerdos, accepto Aspergillo ex herba hyssopo, ad ejus dexteram se convertens, parietes Ecclesiae in superiori parte, et in fundamentis, cum Aqua Benedicta aspergit, dicens: *Asperges me, etc.*

44 55 Aspersio cum Aqua benedicta fit ob purgationem, et sanctificationem loci, qui si Deo dicandus est, oportet ut ab omni labe mundetur, primum exterius; quia in illa quoque parte locus fit sacer, et gaudet immunitate, ut ex pluribus S. C. *Decretis* allegat. a Riccio in *Synopsi*, habemus. Quapropter ut ista Benedictio commode fieri possit, Castaldus *l. c.* monet, providendum, ut Ecclesia possit libere circui; atque ideo etiam muros adnexae fabricae frangendo, curari debere, ut denudata remaneant Moenia exteriora Ecclesiae saltem quantum sufficiat ad illa frequentibus in locis aspergenda.

46 Nisi tamen hoc cum magno incommodo faciendum sit; nam in hoc casu sufficit, ut Sacerdos benedicens se conformet quantum fieri potest Rubricis, et Regulis Ritualis Romani, ut decrevit, loquendo de consecratione S. C. R. in una *Cortonen. 10. Decembris* 1610. et 17. *Julii* 1604 in *Asten. 17. Novembris* 1600. 24. *Septembris* in *Collen. 25. Junii* 1602. Barbos. *Collectan.*



47 48 49 50 Vacua, et nuda insuper debet esse Ecclesia, seu Oratorium. Vacua quoad Scamnia, seu Mensas, et omne in quod est amovibile. Unice tabula seu Icon Altaris tolerari potest, ob grave incommodum illam collocandi adeo prompte, ut post Benedictionem possit in faciem illius celebrari Missa. Ratio vero hujus nuditatis est quia, cum nondum Deo sacer sit ille locus, ornamenta, et supellectiles habere non debet quae loco Sacro sint convenientes. Atque hoc passim videtur etiam in profanatione, seu pollutione Ecclesiarum, quae immediate omni Sacra supellectile denudantur, eo quia locus ille non amplius sacer est. Altaria etiam expoliata omnino esse debent, quia ante Benedictionem, seu Consecrationem, nihil aliud sunt quam mera lapidum coacervatio, et locus simpliciter aedificatus.

51 Populo insuper vacua esse debet Ecclesia, ut commode fiat aspersio interior: sed intrinseca ratio est, quia cum Ecclesia locus sit, in quo conveniunt Fideles ad orandum potest esse talis donec obsoluta sit Benedictio. Porro Populus comes esse debet Sacerdotis Benedicentis, et in Psalmis, Precibusque rite statutis in tali Benedictione se exercere; atque ita in Processione, cultum Dei, et Templi magno apparatu facere, prout in Veteri Testamento usus erat, Bellarin. *Doct. Catech. l. 4. dist. 2. cap. 24.*

52 53 54 55 56 De Aspergillo, et Herba Hyssopomodo disserendum; non enim sine mysterio in re tam gravi, Ecclesia utitur hac Herba. Haec mirifice describitur a Levinio Lemnio Medico celeberrimo, in suo elucubratisimo opusculo, *de Herbis Biblicis, c. 26.* ubi mysteria, et usus ejusdem doctissime explicantur. Hyssopus hortensis Herba est, eximii odoris, ac saporis non ingrati, sic, ut elixa quaeque non minus salubria efficiat, quam sapida: nam pectus, et pulmonem expurgat, capitisque pituitam extergit; quocirca in expugnando pleuresi, ac morbo quovis laterali, singularem effectum obtinet. Qua ratione visum est Deo Herbam hanc solemni Sacrificio adhibere, cum vel leprosi lustrandi sunt, aut scelus aliquod piaculare expiandum, intincto, hyssopi fasciculo in sanguine passerulorum, vel Vitulorum. *Levitic. 14. Numeri 19.* Quocirca David *Psalm. 50.* Adulterii atque Homicidii scelere contaminatus, aspergi expiarique hyssopo cupit, quo abstersa omni macula, animi, mentisque puritate nitescat. Respexit is ad legis suae ritus, et sacrificia: quaecumque enim, quae purificabantur juxta praescriptum legis Mosaicae, sanguine, cum lana coccina, et hyssope aspersa, puritatem sunt consequuta. Quae omnia umbram quamdam, et figuram exhibebant (ut Paulus ad Hebraeos testatur, *cap. 9.*) Christi Redemptoris, cujus sanguine omnia nostra scelera expiata sunt, ac fidei accessu, oblivioni data. Haec de Hyssopo laudatus Le-

vinus Lemnius, cui adstipulatur Bellarmin. in *Psalm. 50.* qui per Hyssopum fidem, et humilitatem intelligit. Herba enim est humilis, radices habens in petra. Nicephorus tropice veniam, et remissionem interpretatur. Imperturbatae virtutis Symbolum explicat Eusebios, et efficaciam Spiritus Sancti Cyrillus, et Athanasius, ut in *Aurea catena Danielis Barbari ad Psalmum 50.* Ita etiam Lorinus, Ayguanus, et Titelmannus, qui inter mysticas explicationes, et considerationes hujus Herbae, hanc ponit; nempe esse ad modum purgativam, atque mundificativam pectoris; praecipue autem pulmonis, et vehementer curativam, ut per eam vel humilitas, vel poenitentia apte significetur. Ecclesia igitur hoc habuit in voto, ut Herbam istam ad hanc Benedictionem adhiberet, quae purgativa, et mundificativa esset, ad hoc ut omni labe mundata, dignum locum Deo Omnipotenti pararet.

57 Quaero hic. Si omnino inveniri non posset Herba Hyssopus, num alia Herba adhibenda esset pro conficiendo isto Aspergillo? In Hoc penuriae casu, opinor quod alia herba adhiberi posset, quae tamen esset in Sacris ritibus admissa saltem in Veteri Testamento, cujusmodi esset Ruta, absinthium, Lactuca Agrestis, Origanus, Serpillus, Verbena, et, omnes illae de quibus in Christi Parabolis mentio est pro insectanda Pharisaeorum avaritia, et sucata Religionis Sanctimonia, Genebrad. in *salm. 50.* Ocymo quoque *Basilicó*) fieri Aspergillum asserit Macrius, *Hierolex. v. Aqua benedicta.*

59 60 61 62 Itaque hoc Aspergillo ex herba Hyssopo, in Aqua benedicta intincto, debet Sacerdos benedicens aspergere muros exteriores Ecclesiae, seu Oratorii, a parte dextera incipiens, quae novillior est, et commodior ex alibi adductis, in superiori parte quousque vibrare valet, decenti ictu, aspersio-nem, et in fundamentis; ubi nota, quod per fundamenta intelligi debent partes interiores fundamentis proximae; nam fundamenta jam in terra obstructa sunt, et muro superimposito, latent: translate enim quandoque sumitur haec vox pro principio, sed principia in hoc casu non apparent, ergo benedicendae veniunt partes principii viciniores. Ratio autem, propter quam benedicuntur Ecclesiae parietes exteriores, est, quia et ipsa pars exterior gaudet immunitate, Ciarlin. *Controv. T. 2. cap. 197. n. 22.* accessorium enim sequitur naturam Principalis.

§. III. Reversi ad locum, unde Processio initium habuit, repetita Antiphona a Clero, Sacerdos stans, ut prius, versus Ecclesiam dicit: *Oremus;* et Ministri: *Flectamus genua, etc. R. Levate.*



63 Circuli perfectio importat, ut unde initium sumpsit, ibi desinat, et conformetur. Sic in nostro casu, cum Sacerdos, circumeundo Ecclesiam, a parte dextera incoeperit, necesse est ut ad idem punctum per partem sinistram devolvat, nempe ad januam primariam, a qua incoepit. Pro complendo circulo exterioris Benedictionis murorum, si Ecclesia muros habeat in interna clausura Monasterii Sanctimonialium a benedicente haberi non debet ingressus in Monasterium cum non sit sumae necessitatis hoc facere; sed sufficiat Benedictio habita in majori parte murorum, ad quos facilis habeatur accessus. Ita S. R. C. in una Brundusina respondente.

64 65 Ibi post *Gloria Patri, etc.* quo terminatur Psalmus repetitur Antiphona eodem modo, quo fit in Officio sub ritu duplici, cum haec vere sit solemnitas dedicationis illius loci. Stat igitur Sacerdos, et sistit ubi prius, atque primam dicit Orationem, qua perfecta remanet Benedictio exterioris partis illius Ecclesiae, seu Oratorii, unde ad probandum, vere hunc locum esse Sacrum, populus hic primo genuflectit, audita voce *Flectamus genua*, quod ibi non fieret, nisi locus esset Sacer.

§. IV. Qua finita Oratione, omnes hini in Ecclesiam intrantes, ad Altare majus procedunt, Litanias decantantes.

66 67 Qui intrant in Ecclesiam, sunt qui processionem componunt, ut patet ex illis verbis *Bini omnes, etc.* Caeterum Populus, qui nullum ministerium habet, abstinere debet ab hoc ingressu tali tempore: quando vero debeat Populo patere ingressus, dicetur suo loco in hac eadem Benedictione.

§. V. Ubi dictum fuerit: *Ut omnibus Fidelibus, etc.* Surgit Sacerdos, et intelligibili voce dicit: *Ut hanc Ecclesiam, et Altare ad honorem tuum, et honorem Sancti tui N. etc.*

68 69 Ecclesia, et Altare insimul eadem Benedictione, et eodem tempore benedicuntur, et dedicantur Deo in honorem alicujus Sancti, ut alibi diximus, et illius Nomen specificè pronuntiandum est in casu genitivo, cum advertentia mutandi generis, si dedicatur alicui Sanctae Foeminae. Vide Quartum n. 158.

§. VI. Cum dicit, *Benedicere*; manu dextera benedicat Ecclesiam; et Altare: deinde ut prius genuflectit, donec perficiantur Litaniae, et Cantores sequuntur: *Ut nos, etc.*

70 71 Haec Benedictio fit a Sacerdote stante, et non se vertente ad latera Ecclesiae, vel ad frontem, quae illi post terga stat: sufficit ut Brachium, et manum elevet, et extendat, amplum, et bene formatum Signum Crucis in aere sculpens. Cumque nondum Litaniae expletae sint, opus est, ut denuo genuflectat, donec perficiantur a *Cantoribus*, qui apposite ita pellantur, ad docendum, quod hujusmodi Litaniae debent cantari in solito tono Gregoriano, non autem recitari simpliciter.

§. VII. Dicto ultimo *Kyrie eleison* Sacerdos dicit, *Oremus*. Ministri: *Flectamus genua. R., Levate.*

72 Cum Ecclesia intus quoque incipiat esse benedicta, ideo publica genuflexio a toto Clero adstante, et a Ministris hoc tempore fieri debet. Proprie vero haec genuflexio pro hac prima vice, fit Altari.

§. VIII. Tum distans ab Altari congruenti spatio genuflectus, et se signans, dicit: *Deus in adjutorium, etc.*

73 74 75 76 77 In assignando hoc congruo distantiae spatio, non uniformiter se gerunt Caeremoniarum Magistri. Alii passum unum tantummodo praefigunt; alii ad medium Ecclesiae, seu Oratorii ducunt Sacerdotem; alii vero quasi ad januam. Priusquam vero opinionem meam afferam circa hoc, necesse ducō rationem inquirere, cur Sacerdos recedere debeat congruenti spatio ab Altari; nec alia se mihi offert nisi illa, ut subsequenter inchoari debeat Psalmodia ad instar Divini Officii per introductionem consuetam, *Deus in adjutorium, etc.* consonum videtur, ut cum suo Clero Sacerdos faciat Chorum, et in medio illius se sistat. Si igitur debet se sistere medium inter duo cornua Chori a Clero tunc efformati, debet etiam ab Altari aliquantisper recedere, (et quantum sufficiat juxta numerum Ministrorum et interessentium in habitu Clericali) ad Sacerdotem benedicentem pro se constituendo in medio ejusdem; unde distantia haec dependet a numero Ministran-



tium, et Processionem componentium. Adde etiam, quod cum fieri debeat Processio per totam interiorem Ecclesiam, illam intus circumeundo, necesse est, ut spatium praestet, et commodet ad eam inchoandam ab Altari, ut infra dicemus, ne tumultus, et perturbatio fiat ob angustiam inter Sacerdotem, et Ministros.

§. IX. Surgit, Clero respondente, *Domine ad adjuvandum me festina, etc.* Ipse vero stans, dicit: *Gloria Patri, etc.* Chorus respondet: *Sicut erat, etc.* Postea Sacerdos dicit: *Oremus, etc.* Ministri, *Flectamus. R. Levate, etc.*

78 Ecce Chorus jam supra a me indicatus, a quo alternari debent Psalmodiae. Hic iterum fit genuflexio ad verba: *Flectamus genua, etc.* atque haec est tertia adoratio loci Sacri, facta in hac functione.

§. X. His dictis, inchoat Antiphonam, *Benedic Domine, etc.* cum tribus Psalmis sequentibus, videlicet: *Ad Dominum, etc.*

79 Processio ad inchoationem Antiphonae initium habet, quo tempore sub eodem tono cantantur tres Psalmi, atque tot sunt, ut sufficiant ad cantum faciendum in toto circulo Processionis. Quod si processio finem suum haberet (ut in parvis Oratoriis accidere potest) ante expletionem Psalmorum, ibi sileant Cantores, ubi finem habet Processio, dicto in fine *Gloria Patri, etc.* Utpote fieri solet in aliis Processionibus.

80 81 Tres isti Psalmi sunt 119. 120. 121. in ordine Psalterii Davidici, et vocantur Cantica graduum, seu Gradualia, quia canebantur una cum aliis duodecim, in ascensione quindecim graduum Templi Salomonis: tot enim fuisse gradus ejusdem Templi non solum scribunt Nicolaus Lyranus, et recentiores cum Bellarmino, in *Psalmis Gradualibus*. Sed etiam S. Augustinus in *Psal.* Ecce igitur convenientia, propter quae cantantur ii Psalmi in hac Benedictione. Quod si Ecclesia benedicenda adeo vastae amplitudinis esset, ut isti tres Psalmi non sufficerent, addi possent alii ex gradualibus; quia sunt ad eundem effectum.

§. XI. Interim aspergit interius parietes in parte superiori, et inferiori, inchoans aspersionem a parte Evangelii, dicens: *Asperget, etc.* Tunc ad Altare reversus dicit: *Oremus, etc.*

82 Eodem modo, et eodem circuitu, quo aspersi fuerint parietes exteriores, benedicuntur et interiores a parte summa ad imam: ubi nota quod hic fundamenta non enunciantur benedicenda, eo quia per pavementum tecta sunt, nec de vestigiis quidquam apparet, ut exterius. Inchoatur haec aspersione a parte Evangelii tamquam nobiliori, atque ut unaquaeque pars initium suum habeat: nam in Benedictione exteriori inchoata fuit, a laeva, interiori a dextera.

§. XII. His peractis dicitur Missa de tempore occurrenti, vel de Sancto.

83 84 85 86 Expleta Benedictione, Populus ingreditur Ecclesiam; et hoc tempus assignatur a Castal. *d. loc. num. 3.* non autem prius. Interimque a Clericis parantur Altaria, et color paramentorum debet esse congruus tempori, et Officio. Missa propria non assignatur, sed ad libitum dici potest, non autem defunctorum, ob solemnitatem loci, in quo magis conveniens videretur celebrare Missam *In Dedicatione Ecclesiae*.

§. XIII. Ecclesia vero quamvis a simplici Sacerdote ut supra, sit benedicta, ab Episcopo tamen consecranda est.

87 88 89 90 Strictius loquitur, et rigorosius Castald. *d. l.* dum dicit: *Ecclesia autem hoc modo a simplici Sacerdote benedicta, debet omnino, opportuno tempore postea ab Episcopo consecrari:* eo quia benedictio est in subsidium, et ad modum provisionis, non autem de natura loci tam digni, qui de jure consecrandus est. De Oratoriis autem id non dicitur; quia tanta solemnitate non indigent, quamvis sint publica.